ne quisquam ea praeter se duos resciscat, in qua re dexterè
versari posse videntur, si ubi Rdo Episcopo Vratisl. &c. non ea
facultas prompta detur ut cum Rege Regisve ministris in=
timis extra congressum publicum agere absque asseclarum
strepitu possit, agat cum iis quam secretissimè strenuis, cui
totum negotium, de quo inter Regem et Sermum Ernestum
fratrem nostrum agitur, probè cognitum est. De matrimo=
nio porro inter Regem et filiam charissimi patrui nostri
felicis recordationis Serenissimi Archiducis Caroli si forte
ejus conciliandi causâ Rex ipse vel per suos, vel per Nuncium
Apostolicum cum Legatis nostris conferet, respondebunt ipsi,
se de eo nihil in mandatis habere. Non dubitare, si unquam
decenti modo nobis Rex hoc desiderium suum aperiri cura=
verit, nos qui perpetua benevolentia Regi Regiaeque ipsius fami=
liae ad quamcunque rem gratificandam addicti sumus, etiam
in hoc benevolentiam nostram ac propensam voluntatē
declaraturi simus. Si verò nullam de eo mentionem fieri con=
tigerit, poterunt nihilominus ante abitum suum è Nun=
cio Apostolico de Regis matrimonio quid futurum existiment
commodum sciscitari. Comiti Gustavo Regi intimo et si quos ali=
os Regi gratos, per quos secretiora tractentur compe=
rient, singularem nostram gratiam et benignissimae
voluntatis affectum pollicebuntur. In his aut etiam aliis
negotiis arcanioribus, si quid sese quod secreto mittendum
sit obtulerit, occultae scriptionis notas, quibus utantur Lega=
tis nostris mitti mandavimus, quorum singulari pru=
dentiâ, spectataque fide nitimur, quibus et gratiam nostram
Caesaream Regiamque benignè pollicemur. Prag. 29 9bris 1590.

Summo Pontifici Gregorio XIV.

171 Gratulatio. Rudolphus &c.

Beatissime in Christo Pater &c. Magnâ sanè sollicitudine,
quam jamdudum ex geminato paucorum dierum intercape=
dine Sedis Apostolicae, adeoque Ecclesia universa luctu atque
orbitate conceperamus, levati gaudio perfusi sumus incredi=
bili, cum Stem Vram divinis illis virtutibus ardentissi=
moque in omnem pietatem studio Apostolico atque illa sa=
pientia, quorum illustria jam ante specimina praeclarissi=
ma documenta extant, praeditam hoc tali nostro tempo=
re summo summi Dei munere in Christi Dni Dei nostri
vicarium electam ac declaratum esse cognovimus. Quamob=
rem omninò nobis nullâ interpositâ mora faciendum
duximus, ut Sti V. pro ea ac debemus proque filiali et
constanti nostra in summos Pontifices observantia

his literis et per oratorem nostrum ordinarium, de-
nec peculiarem ac solemnem huius officii causa legatio-
nem destinemus, omnino gratularemur. Cum igitur ad S.tem
V. orator ipse noster, qui singulari in legationis sua negotiis
explicandis, integritate et candore uti consuevit, verbis mentem
nostram pluribus exponet, semque ipsum eiusque plenamque fide
non tantum in praesenti, sed in posterum etiam, quotiescunque
nostro nomine veniet, audire cupimus. Ut vero S.tas V. Nos
una cum Sac. Imperio, cuius gubernacula divino munere Nobis
concredita sunt, regnisque ac ditionibus nostris haereditariis, quidem tan-
ti summo Pastore sibi plurimum gaudent, charitate complecti
paterna dignetur, etiam atque etiam rogamus. S.ti V. itaque verè
ter nos nostra omnia deferendo, quemadmodum Caesarem Chri-
stianum erga Pontificem Maximum pro ea, quam in Ecclesia
obtinet dignitate maxime decet. Quod reliquum est, prae-
potentem et immortalem Deum precamur, ut S.tem V.ram
quam diutissime et felicissime nobis ac Reipublicae Chri-
stianae incolumem servet. Pragae 19. Decemb. 1590.

Herm. Witekindus Prof. Mathem. Heidelb. M. Davidi Pareo
Salutem.

Equidem non mea causa ab adolescente isto offensus sum, sed sua
ipsius et communis disciplinae, quod posthabita fide et juramento non
tantum celaverit facinus, sed etiam rogatus negaverit, quo et suam
insignem malitiam impudenter prodidit, et disciplinam, quantum
in ipso est, impedire et tollere, idque ex προαιρέσεως, consulto, per-
tinaciter studuit, quod tandem post multam inquisitionem
convictus amplius diffiteri non quiverit. Eadem die Mercurii
vespera mox a Conjunctione illa vociferatione interrogatus
a me per famulum, quisnam iste fuerit, respondit se nescire,
ipsumque esse ipse non sobrius, fortasse cum Bacchante isto tunc
commessatus, die nimirum ☿. Postridie rursum meo nomine
rogatus, iterum inficiatur sequicquam scire, addens, convenirem
praeceptorem, Pareum, ex se tamen nihil cogniturum. Praedicat
istum esse suum amicum: Similes habent labra lactucas: No-
scitur ex sociis, qui non est cognitus ex se. Volebam inquit
amicus ei esse usque ad aram. At fuit ei amicus in hoc exa-
mine ultra aram, violando datam fidem et jusjurandum.
Alit uxorem et liberos difficulter in hac tanta annona:
debebat igitur sobrie vivere, parcens pecuniae adolescen-
dum sibi et suis panem: et agere quo victum parare si-
bi suisque, modestia se commendare illis, a quibus posset ejus
egestas levari. Hoc amicus amico suggerere potius quam
in potando socius esse debebat. Ille autem alium flagitium,

172